

Vel tempora persecutionis Saul, ob verba sua predicta. Propheticè autem David gerit personam Christi, & cuiuscunque iusti calumniam sustinentis.

EXPLICAT. PSAL. VII.

- I. **D**omine Deus meus in te sparaui,
Saluum me fac ex omnibus per-
sequentibus me, & libera me.

In te, inquit, sparaui, quia penè omnes deseruerunt me; ita ut etiam filius meus Absalon, vel socer meus Saul querant me occidere: non habeo cui fidam, nisi te Deum meum. Saluum me fac ex omnibus persequentibus me. Multi enim cum persequabantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello & armis.

- II. **N**e quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Respicit ad Principem persecutionis, ne forte, inquit, Saul, aut Absalon rapiat animam meam, id est, vitam meam, ut leo sollet absque ulla misericordia interficere animalia cætera; dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat, id est, dum tu non redimis, neque saluas. Sciebat enim David omnem industriam humanā sine Deo esse vanam. Vtitur Scriptura voce redemptionis pro quaenque liberatione, etiam si non fiat propriè per solutionem precii. Sicut enim dicitur Deus vendere, quos alienat quodammodo à sua misericordia, & tradit ministris suæ iustitiæ puniendos: ita dicitur Deus redimere, quos iterum à ministris iustitiæ erutos misericorditer libertat. In Hebræo habetur paulo aliter, videlicet: Ne forte rapiat ut leo animam meam, lacerans, & non sit saluans: sed in sententia non est varietas.

- III. **D**omine Deus si feci istud, si est iniqitas in manibus meis.

- IV. **S**i reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Reddidit causam, cur petierit liberari à Deo, quia videlicet Deus nouit innocentia-

eius, & sic refellit calumniam Saulis, & Semeli de insidiis in Saulem, & de invasione Regni: nec solum dicit se non reddidisse malum pro bono, neque malum pro malo, sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono, Si feci, inquit, istud, id est, si insidias sum Regi, vel si inuasi Regnum fraude aliqua aut vi. si est iniquitas in manibus meis, id est, si operatus sum iniquitatem reddens malum pro bono, id est, cum receperim à Saule honorem magnum, vt essem Gener eius, & Tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, vt ipse dicit. Addit, se non reddidisse malum pro malo, Si reddidi retribuentibus mihi mala, id est, cum Saul, siue Semeli retribuerint mihi multa mala pro beneficiis à me acceptis, ita ut me occidere voluerint, si reddidi eis vicem procurando eorum mortem, & non potius abstinuerim semper à nece ipsorum, cum facile, & impunè inferre eam possem: decidā merito ab inimicis meis inanis, id est, si non sunt falsæ eorum calumniæ, nō recuso cadere in proelio penitus inanis. I. sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, & maximo accepto. In Hebræo legitur hoc modo, Si reddidi retribuentibus mihi malum, & dimisi hostes meos vacuos: sed vox dimisi, potest significare etiam recedam, seu discedam, & tunc efficitur sententia quam redditiderunt Septuaginta. Idem enim est recedam ab inimicis inanis. Si autem legamus cum S. Hieronymo, Et dimisi hostes meos vacuos; tunc sensus erit, se reddidisse bona pro malis, ac si dicat, Si dimisi hostes meos non affectos à me aliquo insigni beneficio, eueneriat mihi hoc, aut illud malum.

Persequatur inimicus animam meā, & comprehendat, & conculcat in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Hec sunt mala, quæ sibi ipse imprecatur, si sunt veræ calumniæ Saulis, aut Semeli. Semper autem crescit oratio. Primo, inquit, persequatur inimicus animā meā, id est, coactur

V.